

De orationibus, quae in libris veterum rerum gestarum scriptorum sunt, brevis commentatio,

quam conscripsit P. Rudolf Schmidtmayer.

Multis rebus scribendi genus, quo veterum Graecorum et Romanorum rerum scriptores uti sunt, cum differat ab eo, quo nostrae aetatis historici utuntur, tum maxime eo, quod illi rerum gestarum narrationi orationes inseruerunt. Cuius rei causa inde nobis videtur repetenda esse, quod veteres auctores a nostris diversa secuti sunt scribendi praecepta. Nos quidem historicorum munus esse putamus, ut res gestas, quas narrare velint, certis lineis circumscribant, quibus testibus auctoribusque in unaquaque re describenda uti possint, examinent atque constituent, quomodo res singulae inter se cohaereant, quas habeant causas et rationes, quaeque in summa earum varietate sit lex, exquirant atque ostendant. Itaque commentari magis quam describere solent res gestas nostri scriptores. Veteres vero historici, cum et res gestae, quibus scribendis operam dederunt, artioribus finibus circumscriptae essent, et ipsi ad aliarum gentium gesta factaque minus animum attenderent, quo magis libros legentibus commendarent, longiore atque magis exornata rerum narratione uti sunt. Deinde, quos dictorum et factorum auctores habuerunt, minus acute examinarunt, quaeque ab iis tradita vel ab aliis audita receperunt, ad suum dicendi genus commutata libris inseruerunt. Denique in prioribus ad investigandas summas rerum gestarum leges neque aptior neque acutior mens fuit, cumque rerum ipsarum earumque mirabilium et memoria dignarum curam haberent, his describendis maxime incubuerunt easque, ut dicendo expressam quandam earum imaginem effingerent, quam maxima potuerunt perspicuitate ante legentium animos ponere studuerunt. Quibus ex causis factum est, ut propriam quandam et singularem eamque artificiosam scribendi rationem invenirent atque constituerent.

Ut in omnibus fere litteris et artibus ita etiam in rerum scribendarum arte Graeci pro maximo ingenio suo summas atque optimas, quas Romani postea secuti sunt, leges constituerunt. Vegeti atque alacri cum essent animo et, quaecumque iis oblatae essent, celeriter apprehenderent comprehensaque ardenti mente prosequerentur, vividum scribendi genus iis maxime placuit¹⁾. Naturae autem convenit, ut, quicumque

¹⁾ »Nothwendig aber fühlten die Alten weit mehr als wir den Drang der eigenen lebendigen Anschauung der Begebenheiten, das Bedürfnis der sinnlichen Berührung und Beschauung der Geschichte, welche sie darstellen sollten. Da das Leben vornehmlich nur von Seiten seiner sinnlich wahrnehmbaren Erscheinung in die Geschichte aufgenommen und abgespiegelt ward, so kam es vor allem auf die möglichst rege Lebendigkeit und Anschaulichkeit der Darstellung an. Hierauf richteten Geschichtsschreiber und Leser zunächst ihr Augenmerk; darnach strebte jener, darnach verlangte dieser.« Ulrici, Charakteristik der antiken Historiographie, Berl. 1833. p. 284.

concitato animo narret, non solum facta hominum sed etiam verba referat, qua re narratio incundior auditu, intellectu facilior existit. Qua de causa non mirandum esse nobis videtur, quod Graeci rerum scriptores personas fecerunt loquentes. Delectari deinde voluerunt Graeci historias legentes. Quod ut efficerent scriptores, orationibus narrationi interpositis et varietatem et vigorem et lucem operibus addiderunt atque narrandi et describendi taedium evitarunt¹⁾. Tum Graeci, qui in artibus et litteris naturam ipsam velut ducem sequebantur atque maxime in id incumbabant, ut naturae similitudinem in operibus exprimerent, ad summum artis gradum se perventuros arbitrati sunt, si quidem res quasi recentes legentium animis subiecissent²⁾. Quamobrem rerum scriptores, cum vita hominum et verbis contineatur et factis, non haec solum sed etiam illa sibi referenda esse censuerunt neque, ut vitae perfectam et absolutam effingerent imaginem, quae ipsi de rebus indicaverunt, aperte dixerunt, sed homines, rerum gestarum auctores, fecerunt dicentes. Ea autem re factum est, ut oratio eorum incorrupta sit magnamque prae se ferat sinceritatem atque simplicitatem, quas maxime in Herodoti libris admiramur³⁾. Nostrorum vero temporum historicos, quibus procul dubio, quod τὸ πραγματικὸν vocant, maior in cognoscendis rerum causis inest sagacitas, causas eventaque rerum in comentariis ipsis planis exponere verbis neque homines ea facere ostendentes, quis est qui ignoret? Neque id nobis videtur esse neglegendum, quod apud Graecos tum demum res gestae memoriae tradi coeptae sunt, cum iam antea ars poetica florisset. Iam enim Homerus, Hesiodus, alii poetae carmina pepigerant, quae inventus ediscebat omnesque semper plurimi aestimabant. Homerum autem, qui universae posteritati non minus poematum quam omnium artium leges proposuisse apud veteres creditus est, non solum, qui posteriore tempore fuerunt, poetae epici, lyrici, tragici⁴⁾, sed etiam rerum scriptores sectati sunt, atque ex iis praeter ceteros, qui dicuntur λογογράφοι, quos res gestas magis ad legentium voluptatem excitandam quam ad vera prodenda conscripsisse constat. Sed Herodotus quoque, quem iam veteres historiae patrem vocaverunt, iudice Dionysio Halicarnassensi⁵⁾, atque Thucydides⁶⁾, summus inter Graecos historicus, in scribendi arte Homerum

¹⁾ Dionysius Halicarnassensis haec de Herodoto (in libro de Thuc. ind. p. 129. (VI, p. 771. R.): *Συνειδῶς γὰρ Ἡρόδοτος, ὅτι πᾶσα μῆκος ἔχουσα διήγησις, ἂν μὲν ἀναπαύσεις τινὰς λαμβάνη, τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἡδέως διατίθησιν, ἐὰν δὲ ἐπὶ τῶν αὐτῶν μένῃ πραγμάτων, καὶ τὰ μάλιστα ἐπιτυγχάνηται, λυπεῖ τὴν ἀκοήν τῷ κόρῳ, ποικίλην ἐβουλήθη ποιῆσαι τὴν γραφὴν Ὀμήρου ζηλωτὸς γενόμενος.* Optime Kohlius in commentatione: »Über Zweck und Bedeutung der Livianischen Reden«, Barmen, 1872 haec scripsit: »Reden sind Ruhepunkte der Erzählung, von denen der Leser wie ein Wanderer froh auf den zurückgelegten Weg blickt, um dann wieder rüstig vorwärtszuschreiten.« Cfr. Ulrici l. c. p. 300.

²⁾ Cfr. illud egregium Schlegelii: »Der Geist der gesamten antiken Kunst und Poesie ist plastisch, sowie der der modernen pittoresk.« Über dram. Kunst und Literat. I, p. 15.

³⁾ Cfr. E. Waardenburg, dissert. liter. de nativa simplicitate Herodoti. Lugd. Bat. p. 8 sqq., Roscher, Klio, Beiträge zur Geschichte der histor. Kunst. Goett. 1842, p. 164, Bernhardt, Grundriss der gr. Litt. ed. III, I, p. 155.

⁴⁾ Cfr. K. Sittl, Gesch. d. griech. Litter. Münch. 1884, p. I, p. 154.

⁵⁾ De Thucyd. iud. VI, p. 771, R. Cfr. Fr. Creuzer, die historische Kunst der Griechen in ihrer Entstehung und Fortbildung. 2. Aufl. v. Kayser. Leipz. 1845, p. 114 sq., 121.

⁶⁾ Cfr. Marcellini »vitam Thucididis«, 37; Longinus »περὶ ὕψους« §. 12; Roscher, l. c. p. 32 sq., E. v. Leutsch, Philologi v. 33, p. 155, 185.

secuti sunt. Homerus autem cum in carminibus plerosque gentium duces atque ipsos deos loquentes fecisset¹⁾, quorum orationes tam varias atque eximias fuisse Quintilianos iudicavit²⁾, ut omnibus eloquentiae partibus Homerus ortum et exemplum dedisse sibi videretur, mirari iam non licet, primos rerum scriptores ad illius poetae carminum formam et indolem sua composuisse opera atque eloquentiae studuisse³⁾. Quam ob rem causarum, cur veteres rerum scriptores usum orationum inserendarum receperint, haud minima videtur esse Homeri imitatio⁴⁾.

Num autem iam ii, quos *λογογράφους* dicimus, orationibus commentarios ornaverint, neque ex iis, quae vel narrando vel existimando de illis prodita sunt, neque ex librorum partibus, quae supersunt, cognosci potest. Sed quia aliqua ex parte historia Graeca e poesi orta esse putatur⁵⁾, vel certe eorum, qui *λογογράφοι* dicuntur, opera ad carminum epicorum indolem et similitudinem propius accesserunt, neque Dionysius Halicarnassensis in eo loco⁶⁾, quo exponit, quibus rebus Herodotus *λογογράφους* superaverit, inventarum orationum laudem illi tribuere noluisse vel oblitus esse putandus est, veri simile nobis videtur, iam illos primos Graecorum scriptorum orationibus usos esse⁷⁾.

Primus autem ex iis, quorum orationes ad nostram pervenerunt aetatem, Herodotus est. Huius autem scriptoris orationes, quas Quintilianus sermones vocat, exiles sunt et ieiunae omnique carent ornatu oratorio⁸⁾.

Etiam Thucydides, qui inter Graecos in rerum scribendarum arte ad cumulum quasi perfectionis evector est, a recepto more sermonum historiis inserendorum non recessit, quin etiam eos, quos operi suo interposuit, tanta cum diligentia et arte composuit atque expolivit, ut summum quasi fastigium totius operis recte haberentur⁹⁾.

1) De Homeri orationibus Ameis Hentze, Anhang zu Hom. Ilias, H. III, p. 86 sqq. et J. Heßmann, die formale Technik der homer. Reden, Progr. v. Villach, 1877 scripserunt.

2) Instit. orat. X, I, 46.

3) Cfr. Heßmann l. c. p. 8.

4) Cfr. libros, qui inscripti sunt »Jahn'sche Jahrbücher für class. Philologie und Pädagogik«, vol. XIX, p. 354, Hohegger, de orationum in veterum historiis origine et vi brevis commentatio. Pressburg, 1853, p. 4, Ambros. Mayr, Herodot. eine literaturgeschichtliche Studie. Komotau. 1877, p. 32.

5) Cfr. Dionys. Hal. de Thuc. ind. p. 81 sq., Cicero, de orat. II, 12.

6) De Thuc. iud. p. 820 R.

7) Hoc Auffenberg in libello, quem inscripsit »de orationum operi Thucydideo insertarum origine, vi historica, compositione« (Crefeld, 1879, p. 6) comprobare conatus est, eiusque ea de re sententia, quam secuti sumus, probabilis esse nobis videtur. Praeterea Sittl (l. c. p. 350) de Hecataeo, qui in numero eorum, quos *λογογράφους* dicimus, habetur, haec dicit: »Nach dem Auctor *περί ὕψους* fiel er gerne aus der indirecten Rede in die directe.« Thucydides denique de illorum scribendi genere hoc tulit iudicium (l. I., c. XXI.): *ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῆ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον.*

8) »Die Reden des Herodot sind kurz und skizzenhaft, ohne rhetorischen Glanz, erheben sich kaum über den Strom der Erzählung, nur um letzterer Abwechslung und Leben zu geben, scheinen sie wie von selbst in die Feder geflossen zu sein.« Ulrici l. c. p. 38. Cfr. Rüdiger, »De orationibus, quae in rerum scriptoribus Graecis et Latinis reperiuntur, imprimis Sallustii et Herodoti ratione habita« Schleiz. 1875, p. 10, 15 et Creuzer, »Herodot und Thucydides« Lips. 1879, p. 121.

9) »Die Reden des Thucydides, deren jede für sich ein kleines Kunstwerk bildet, das man mit dem Mimos des Sophron vergleichen möchte, sind leuchtende Marmorwerke, aus dem spröden und harten Material der Sprache gehauen, so regelrecht gegliedert, wie die Körpertheile eines Bildwerkes,

Hic autem, cum omnia ad res civiles depingendas conferret, quo facilius atque melius id efficeret, forensibus orationibus, quas Graeci *δημηγορίας* appellaverunt, usus est¹⁾. Orationes vero ipsae quintam fere partem totius operis constituunt, qua ex re apparet, Thucydidem oratoriae arti magnam partem tribuisse²⁾. Differunt autem multis in rebus ab Herodoteis; nam cum hae breves sint et ieiunae neque ad rhetoricae artis praecepta compositae, illae longiores atque, cum Thucydides ab rhetoribus institutus esset³⁾, ad oratorias leges summo cum labore expolitae sunt⁴⁾. Hic autem cum cognovisset, historici munus esse, non solum res gestas referre, sed etiam hominum memoria dignorum ingenia atque consilia exquirere et illustrare, illos ita fecit loquentes, ut et quae cogitarent et factionum, quibus praessent, consilia atque studia, et quid de pace, de bello, de administranda re publica sentirent, quae speranda, quae persequenda essent, detegerent et legentibus ostenderent⁵⁾. Illa igitur scribendi ratione, quam *πραγματικὴν* vocamus, hic usus est isque primus atque iis, qui postea inter Graecos et Romanos historias scripserunt, pulcherrimum, quod imitentur et imitati sunt, exemplum dedit. Sed silentio nobis non videtur esse praetereundum, concionum Thucydidearum dicendi genus, cum a vulgari sermone atque communis sensus consuetudine abhorreat, saepe obscurum esse. Quam ob rem Thucydides iam a Dionysio Halicarnassensi vituperatus est⁶⁾, cui Cicero his verbis assentitur: »Thucydides autem res gestas et bella narrat et proelia graviter sane et probe, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum. Ipsae illae orationes ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intellegantur, quod est in oratione civili vitium vel maximum⁷⁾.

Xenophon autem, quamquam ab usu orationum non recessit, neque multas neque ornatas orationes commentariis suis intexuit et usus est sermone a forensi strepitu remotissimo⁸⁾.

in der Harmonie ihrer Composition und dem leisen Schwung aller einzelnen Schönheitslinien nur dem Auge des geübten Zuschauers erschlossen.« Mähly, *Gesch. d. ant. Litteratur*. Leipz. p. II, p. 15. Cfr. Creuzer, *die hist. K. d. Gr* p. 213, C. G. Krüger, *ad Dionys. Hal. biographica*, p. 257.

¹⁾ Cfr. Quintil. *inst. or.* X, 73.

²⁾ Cfr. Thuc. I, 22.

³⁾ Cfr. Schäfer, *Quellenkunde zur griech. Gesch. bis auf Polybios*. Ed. II. Lips. 1873, p. 28, O. Müller, *Griech. Litterat. Gesch.* Ed. IV, p. II, p. 319.

⁴⁾ Cfr. Kirchhoff »Thucydides Graecorum ingeniosus rerum gestarum scriptor atque inter omnes, qui similes exsiterunt, antiquitatis historicos princeps.« Brilon. 1860. p. 13, Steinberg, *Beiträge zur Würdigung der Thukydeischen Reden*. Berl. 1870.

⁵⁾ »Den Vorrang nehmen bei Thucydides die menschlichen Triebfedern ein, die Vorstellungen der Menschen, ihre Leidenschaften.« Roscher, *l. c.* p. 188. »Thucydides' Reden enthalten die vollständige Motivierung der wichtigeren Handlungen aus den Gesinnungen der Staaten, Parteien und Individuen, von denen diese Handlungen ausgehen.« O. Müller *l. c.* p. II, p. 141. Cfr. Tiesler »Über die Reden des Thukydes.« Posen. 1854. p. 31—40, Auffenberg, *l. c.* p. 10 sqq.

⁶⁾ In libro *de Thuc. iud.* 51, 3 (p. 729 R.), cfr. 53, 3.

⁷⁾ Orator, §. 30. Cfr. Brutus, 7, 29; 53, 287.

⁸⁾ Cfr. Cic. *orat.* IX, 32, *de orat.* II, 14, 58, Dionys. Hal. *ep. ad Cn. Pomp.* IV, p. 777, Quint. *inst. or.* X, 1, 33. »Die Reden (Xenophontis) sind nicht so häufig und nicht so lang als bei Thukydes; sie haben noch weniger rhetorischen Glanz, überall erscheinen sie nur eingewebt, um den Charakter und Geist einzelner Männer, insbesondere der Feldherrn, zu entwickeln, oder zu zeigen, in welcher Art die Beredsamkeit dem Feldherrn von Nutzen sein könnte.« Ulrici, *l. c.* p. 49. Cfr. Creuzer, *die hist. Kunst d. Gr.* p. 304.

Posteriorum vero historicorum fere omnes, quippe qui in scholis rhetorum viti-osis atque corruptis oratoriae artis legibus instructi ad memoriam scribendam accessissent, tantum arti rhetoricae tribuerunt, ut non tam ad referendas et describendas res gestas, quam ad ostentandam scientiam oratoriam in officinis rhetorum perceptam orationibus uterentur atque historiam ipsam velut oratoriam appendicem ducere viderentur. Tales enim sermones excogitaverunt et effinxerunt, qui et rebus et hominum ingeniis essent accomodati, data sibi licentia et artis rhetoricae specimina edendi et grande dicendi genus adhibendi. Velut Philistum historiam ad rhetoricae artis praecepta scripsisse Suidas dicit¹⁾, et Theopompus atque Ephorus a Dionysio Halicarnassensi, quod nimium oratoriae arti tribuerint, reprehenduntur²⁾. Timaei autem operis maiorem partem complexas esse orationes, testis nobis est Polybius³⁾.

Sed hactenus de Graecis rerum scriptoribus. Iam redeamus ad investigandas et illustrandas causas, cur receptum sit apud veteres historicos, orationes rerum narrationi inserere.

Pranstantissimum certe Graecis inerat pulchri iudicium, quo imbuti et in literis et in artibus opera effinxerunt, quae omnium temporum laudem sibi parerent. Ad illud autem cum omnia conferrent, etiam historicos non minus artifices quam rerum iudices esse voluerunt. Illi igitur id sibi persuasum habentes, non laedi historicam fidem orationibus fictis, ab earum usu nunquam abhorruerunt, praesertim cum in iis componendis summa licentia uti concessum esset iisque insertis pulcherrima atque artificiosa orationi adderentur ornamenta. Quo factum est, ut veterum historicorum scripta illam haberent sermonis dignitatem et venustatem, illam artificiosam rerum dispositionem et poeticam quandam et oratoriam compositionem, illam summam varietatem et iucunditatem, quae omnia historiae ornamenta recentium temporum rerum scriptores fere omnes negligere solent⁴⁾. Hoc autem iudicium nostrum verum esse, non modo historicorum operibus, quae ad hoc tempus exstant, comprobatur, sed illis quoque iudiciis, quae de illorum arte a veteribus facta sunt. Ut Licinianus haec in libri, quem inscripsit: »quomodo historia scribenda sit« capite quinquagesimo primo: Ὅλως δὲ νομιστέον, τὸν ἱστορίαν συγγράφοντα Φειδίᾳ ἢ Πραξιτέλει χρίναι εἰκέναι

¹⁾ Ὅς πρῶτος κατὰ ῥητορικὴν τέχνην ἱστορίαν ἔγραψεν. Suidas v. Φίλιστος. Cfr. Dionysii H. epist. ad Cn. Pomp. 5.

²⁾ In c. VI. ep. ad Cn. Pomp.

³⁾ Cfr. Pol. XII, c. 15. Cfr. Ulrici, l. c. p. 55 sq. Dignum, quod hic afferam, hoc mihi videtur Kohlii: »Innerhalb der antiken Historiographie haben also die Reden auch wieder ihre eigene Geschichte; diese aber gleicht der der Säulen in der Baukunst, welche ursprünglich das Gebälk und die Decke trugen, aber mit decorativem Schmucke allmählich so eingehüllt wurden, dass sie selbst in diesem aufgingen und nur noch als Zierrat an die ihre Stelle einnehmenden Pfeiler und Mauern angelehnt wurden. Auch gleicht den Reden in ihrem Schicksal der Chor des antiken Dramas, welcher ursprünglich selbstthätig in die Handlung eingriff, allmählich aber mehr und mehr reflectirender Beobachter ward und blos als Schmuck beibehalten wurde.« (l. c. p. 2.)

⁴⁾ »Ein historisches Werk galt unter den Griechen im ganzen für ein Product freier Kunst.« Creuzer. II. K. d. Gr. p. 214. »Wir sehen, so lange griechisches Leben blühte, Philosophie sowohl als Historie die schöne Fessel der Kunstform tragen.« H. Weil. Thuk. als Geschichtsforscher. Ztschr. f. Alterthumswiss., 1838, p. 875. Cfr. Ulrici, l. c. p. 300.

ἢ Ἀλκιμένει ἢ τῷ ἄλλῳ ἐκείνων. — τὸ τοῦ συγγραφέως ἔργον εἰς καλὸν διαθέσθαι τὰ πράγματα¹⁾.

Praeterea ut historia, quae eorum, qui aliqua rerum gestarum gloria floruisent, memoriam posteris traderet eosque quasi immortales redderet, poetico quodam colore atque ornatu oratorio tamquam veste induta incederet, veteres aequum esse arbitrati sunt²⁾. Quod ut assequerentur, simulque legentium animos delectarent, usum orationum recepisse semperque servavisse easque ad oratoriae artis praecepta composuisse Graeci historici nobis videntur esse putandi, quia id recte illos sibi persuavisse credimus, quantum dignitatis accederet historiae, si quidem legentes quasi oculis cernerent personas velut in scenam prodeuntes atque de rebus publicis et privatis audirent loquentes. Quae de causa antiquorum commentarii sermonibus summorum vivorum intextis dramaticam quandam formam atque naturam accepisse iure putantur. Velut Krüger (in praefatione editionis scriptorum Dionysii Halicarnassensis, p. XXXV) historiam Thucydideam cum sublimes tragoedia, cuius quasi cantica conciones essent, comparare non dubitavit³⁾. Herodoteas quoque orationes omnibus libris fabulae quasi genus dicendi addidisse Creuzer recte nobis iudicasse videtur⁴⁾.

Restat nobis de ultima eaque gravissima causa disserere, qua factum est, ut Graeci rerum scriptores tantopere studuerint orationibus narrationi inserendis atque expoliendis. Quis autem ignoret, in Graecis civitatibus, cum populi imperio regi coeptae essent, quaecumque ad vitam publicam spectarent, palam in concionibus esse agitata? Sed iam heroicis temporibus reges coram populo, duces coram militibus concionatos esse ex Homeri carminibus manifestum est. Postquam vero ars dicendi a Gorgia sophista in Graeciam translata atque propagata est, et bella, quae cum Persis Graeci gesserunt, confecta popularesque civitates, tyrannis expulsis ubique constitutae sunt, tunc omnes iuvenes eloquentiae discendae operam dederunt, ut deinceps res, quas gererent civi-

¹⁾ Ἐγὼ δ' οὐτ' ἀρχιμητρὰν καὶ ἀκόσμητον καὶ ἰδιωτικὴν τὴν ἱστορικὴν εἶναι πραγματεῖαν ἀξιῶσαιμ' ἐν, ἀλλ' ἔχουσάν τι ποιητικόν. Dionys. Hal. de Thuc. ind. p. 491 R. Cfr. Cic. de oratore, II, 15, Quint. inst. or. X, 31.

²⁾ »Zugleich war ihnen (veteribus) die Geschichte die Trägerin einer sinnlichen, irdischen Unsterblichkeit. — Auch darum suchten sie nach einer möglichst würdigen, erhabenen Form, in welcher der Ruhm grosser Männer und ihrer Thaten der Nachwelt überliefert werde. So begannen sie alsbald in weiterem Umfange die Form der Darstellung künstlerisch zu bilden und suchten in der Zusammenstellung des Einzelnen, in Licht und Schattenvertheilung, wie in Färbung und Haltung ihrer historischen Gemälde eine gewisse plastische Schönheit und Fülle zu erreichen. Das geeignetste Mittel hiezu aber war die Nachahmung des Dramas: die historischen Figuren selbst handelnd und redend einzuführen.« Ulrici, l. c. p. 327.

³⁾ »In der Geschichte trägt die Rede das meiste von dramatischer Selbstständigkeit an sich; sowie die Chöre einen Ruhepunkt gewähren, um alle die ethischen Momente hervorzuheben, wodurch die Handlung dichterisch gestaltet wird, so lassen die Reden des Thukydides alle die geistigen Momente klar werden, die auf historische Art den Thatsachen zugrunde liegen. Sowie ferner in den Chören die eigene Thätigkeit des Dichters auftritt, die den mythischen oder sonst gegebenen Stoff verarbeitet, so haben wir auch in den Reden gesehen, dass hier das dichterische Schaffen der Historiker am meisten offen liegt.« Roscher, l. c. p. 171.

⁴⁾ Hist. K. d. Gr. p. 131. Cfr. E. Waardenburg. l. c. p. 237 sq., Alb. de Jongh, De Herodoti philosophia disquisitio. Traiecti ad Rhenum. 1833. p. 10.

tates, cum eloquentiae historia connecterentur¹⁾. Abhinc enim homines eloquentia praediti leges proponebant, in causis iudicum partes agebant, de pace facienda vel bello gerendo referebant, ad honores dignitatesque ascendebant, totius populi animos regebant²⁾. Itaque praestantissimus quisque ingenio, cum prudentia civilis, nisi cum laude oratoria coniuncta esset, nihil ad rem publicam capessendam valeret, id agebat, ut eloquentiae laudem sibi pareret, qua et magnus apud suos et apud posteros clarus existeret. Qua re factum est, ut plerique, qui iuvenes eloquentiae studuissent atque vel ipsi orationes habuissent vel saltem saepissime homines concionantes audissent, cum ad memoriam consignandam accessissent, opera sua ad praecepta oratoria disponerent virosque memoria dignos et belli duces loquentes facerent. Id autem etiam ea de causa mirandum esse non potest, quod neque illorum hominum indolem, naturam, ingenium, mores, iudicia, consilia nisi ipsorum verbis depingere, neque rerum conditionem aut statum nisi insertis eorum orationibus iuste perfecteque legentibus illustrare potuerunt³⁾.

Artem dicendi autem in Graeciam sophistas importasse atque in animis Graecorum eloquentiae studium excitasse diximus. Maxime autem Athenienses, naturali dicendi facultate praediti, animos ad artem oratoriam discendam induxerunt, quo factum est, ut rhetorum doctrinae atque eloquentiae studium et ipsorum mentes magnopere commoverent et ad litteras immutandas magnam vim haberent. Iam enim historiae patrem, qui per extremam vitae partem Thuriis fuit, quae urbs praeclara illorum sapientiae et eloquentiae doctorum sedes erat⁴⁾, atque Athenis aliquam operis sui partem recitasse dictus est⁵⁾, cum sophistis consuetudinem habuisse vel saltem eos disputantes audivisse, spectatis compluribus sermonibus, quos historiae suae inseruit, nobis verisimile esse videtur. Nam in LXXXII. et insequentibus tertii libri capitibus Otanem, Megabyzum, Dareum Smerdis, qui falsus dictus est, caede facta consilium habuisse refert atque, quae optima civitatis forma sit, disputantes facit. Quivis autem illorum Persarum orationes legerit, non dubitamus quin miretur, istos tam singularem cognitionem formarum civilium habuisse, quae Graecis rebus publicis propriae fuerunt. Quaestiones vero, de quibus Herodotus in illo loco Persas facit disputantes, sophistae saepissime agitabant⁶⁾, ex quo certum et exploratum esse putamus,

¹⁾ »Von nun an (post bella Persica) ist die Beredsamkeit in Griechenland und Athen insbesondere so eng mit dem Staatsleben verbunden, dass die Geschichte der griech. Redner in mancher Beziehung gleichbedeutend mit der Geschichte der griech. Staaten selbst wird«. Westermann. Gesch. der griech. Beredsamkeit. p. 31.

²⁾ »Was heutzutage die Diplomatie ausmacht, das übten die attischen und andere Redner hinfert meisterhaft«. Wachsmuth. Hellen. Alterthumskunde. p. II, p. 761.

³⁾ Cfr. commentationem »de orationibus in veterum historiis« in librorum »Jahn'sche Jahrbücher« volumine XIX, p. III, p. 360, O. Müller, l. c. p. 103, 152, Hochegger, l. c. p. 6.

⁴⁾ Cfr. Abichtii praefationem, quam praemisit editioni librorum Herodoteorum p. 6, 13 et Steinii ad eosdem libros p. XXIII. sq.

⁵⁾ De hac re agit Bähr in quarto volumine editionis Herodoti Musarum p. 407 sq., p. 416 sqq. atque Kirchhoff in libro: »Über die Entstehung des herodoteischen Geschichtswerkes«. Berol. ed. alt. 1878. p. 10 sq.

⁶⁾ Cfr. Curtius, griech. Gesch. Berol. 1874. ed. III., vol. III., p. 99, Zeller, Die Philosophie der Griechen. ed. IV. Lips. 1876, vol. I., p. 938, 1008 sqq.

has orationes a scriptore esse fictas¹⁾ atque e sophistarum scholis quaedam ad illius libros transiisse²⁾. Thucydidem autem neque ab oratoriae artis studiis alienum fuisse et sophistis rhetoribusque usum esse, librorum eius scribendi genere comprobatur et eo, quod antiquitus traditum est, praeceptorem hunc habuisse Antiphontem atque cum Gorgia et Prodicō coniunctum fuisse³⁾. Ephorus denique et Theopompus quasi ex clarissima Isocratis officina ad memoriam scribendam accesserunt⁴⁾.

Sed iam ad Romanorum rerum scriptores convertamur, quos, cum Graecorum exempla secuti essent, commentariis orationes inseruisse videbimus⁵⁾.

Primus autem inter Romanos Sallustius libros suos ad historiae scribendae artem confecit atque longioribus et artificiose expolitis concionibus ornavit. Sed orationum inserendarum consuetudo iam annalium scriptorum propria fuisse videtur. Cicero recte quidem, cum haec Atticum fecisset dicentem in II. capite I. de legibus libri: »Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intellego et ex te persaepe audio,« Pictores, Catones, omnes annalium scriptores longe ab oratorio scribendi genere abesse existimavit, cum illi neque ullam ornamentum oratorii vim annalibus addidissent neque amplo aut oratorio, sed tenui atque aspero sermone uti essent. Tamen dignum nobis videtur, quod spectetur et consideretur, illorum scribendi genus, qui primi Romanorum res memoriae tradiderunt, praesertim cum nonnulli ex iis annalibus orationes interponere consueverint. Atque primum iam Catonem originum libris orationes, quae ipse habuit⁶⁾, inseruisse antiquitus traditur⁷⁾. Inter eos autem, qui annales scripserunt, primum L. Coelium Antipatrem rerum narrationi sermones intexuisse Peter⁸⁾ memor eorum, quae Cicero in oratoris c. LXIX. de illo auctore scripsit, arbitratur. A. Quadrigarium vero et Sisennam annalibus conciones interposuisse prope exploratum esse videtur⁹⁾, atque ex iis, quae apud Ciceronem in Bruti capite XXI. legimus, etiam Fannium homines induxisse loquentes manifestum est. Denique cum Cicero in II. capite primi de legibus libri, ubi censuram agit orationum Macerianarum, quantum Coelius et

¹⁾ Qui recentioribus temporibus res Persarum commentati sunt, omnes illas orationes ab Herodoto excogitatas esse affirmant. Cfr. Duncker, *Gesch. d. Alterth.* ed. IV. vol. IV. pag. 469. Maspero, *Geschichte der morgenländischen Völker im Alterthum*, übers. v. Pietschmann. Lips. 1877. p. 533. n. 4. M. Busch, *Urgeschichte des Orients etc.* ed. II. vol. II. p. 154.

²⁾ Quod Bähr, homo doctissimus, argumentis, quae probabilia sane videntur, confirmare conatus est in commentatione de vita et scriptis Herodoti, quam adiunxit editioni Musarum Herodoti. Cfr. vol. IV. ed. alt. Lips. 1871, p. 337 sq. et quae adnotavit ad Herodoti libri III. c. 80, I. VIII. c. 140, I. IX. c. 48, I. VIII. c. 26, quaeque de Herodoti opere scripsit in IV. vol. p. 1250 libri, qui inscriptus est: *Paulys Realencyklopädie*.

³⁾ Cfr. Schäfer, l. c. p. 28. Krüger, *Untersuchungen über das Leben des Thukydides*, p. 34., Becker, *De sophisticarum artium vestigiis apud Thucydidem*. Berol. 1864.

⁴⁾ Cfr. Creuzer, *Hist. Kunst d. Gr.* p. 319, Blass, *Attische Beredsamkeit*. vol. II. p. 396.

⁵⁾ Cfr. C. Nipperdey opuscula, quae post eius mortem Schöllius edidit apud Weidmannos Berol. 1877, p. 40 sqq.

⁶⁾ Cfr. Peter, *historicorum Romanorum reliquiae*. vol. I., Ulrici, l. c. p. 114 sq., Bernhardt, *Grundriss der röm. Litteratur*. vol. II. p. 638.

⁷⁾ Vide Ciceronis *Bruti* c. XVII., Dionis *epit.* l. XLIX, Gellii *noctium atticarum* I. XIII. c. 24.

⁸⁾ L. c. 47, 218. Aliam eamque contrariam sententiam defendit Jordanus. Cfr. *Hermes*, 1872., p. 208, Cic. *orat.* II, 54, Bernhardt, l. c. p. 646, §. 101, n. 487.

⁹⁾ Cfr. Teuffel, *Geschichte der röm. Litteratur*. p. 156, n. 3, Kohl, l. c. p. 28.

Sisenna in historiae scribendae arte profecerint, generatim exponat, Kohl (l. c. p. 18) affirmare non dubitat, Ciceronem in omnium scriptorum annalium atque etiam Fabii Pictoris et Cincii Alimenti libris orationes vel invenisse et legisse vel certe opinatum esse, illos orationibus esse instructos, quod etiam Nissen in libro: »Kritische Untersuchungen über die 4. und 5. Decade des Livius¹⁾« comprobare conatus est. Nobis autem hoc quoque considerandum esse videtur, Fabium et Cincium, cum graece historias scripsissent, ante certe historicorum Graecorum libros inspexisse atque legisse, ex quibus non modo sermonem sed etiam scribendi genus reciperent. Quodsi hoc factum esse credibile est, etiam id conicere licet, illos ex historiis Graecis orationum usum assumpsisse. Ad hoc autem accedit, quod Livius plerosque homines his verbis induxit loquentes: »ibi in hanc sententiam locutum accepi« (l. III. c. 67), »ita locutus fertur« (XXII, 39, 61), atque in narrando secundo, quod cum Carthaginiensibus Romani gesserunt bellum, hos annalium scriptores, quos proferat, sectatus esse videtur²⁾.

Regibus autem Roma expulsis cum forma liberae rei publicae instituta esset, eloquentia in urbe florere coepit. Nam in curia, in foro, in comitio orationes habebantur, atque, qui gravi atque ad persuadendum apto dicendi genere pollebant, et populi gratiam sibi conciliabant et publicos honores adsequebantur. Itaque, quia plurimae in urbe publicae actiones ad orationes habendas saepissime invitabant, factum est, ut optimus quisque fere Romanus orator quasi fieret. Quin etiam tota fere res publica Romana eloquentia tamquam fundamento nitebatur summaque auctoritate in ea administranda erant, qui eloquentiae laudem sibi comparaverant³⁾. Propterea autem qui eorum temporum res Romanas, quibus civitas Romanorum rei publicae formam habuit, memoriae tradiderunt, ut perfectam atque absolutam rerum imaginem quasi ante oculos legentium ponerent, consulum, tribunorum ceterorumque magistratum orationes, legatorum sermones, ducum et imperatorum conciones sibi referendas esse censuerunt⁴⁾. Quamvis autem his rebus eloquentiae studium Romae auctum atque promotum esse concedamus, tamen Romani ingenii severitas atque gravitas omnem sermonis levitatem et elegantiam aspernabatur. Ex ipsa enim rei publicae natura et vitae genere eloquentia originem duxerat⁵⁾ atque M. Antonius, L. Licinius Crassus pectus solum habuerunt disertum. Quamquam deinde illa naturalis Romanorum elo-

¹⁾ p. 92.

²⁾ Optime de hac re agit Kohl l. c. p. 18., cuius argumenta ad rem probandam aptissima esse iudicamus.

³⁾ »Wir finden im allgemeinen, dass unter den Künsten des Friedens die Römer auf drei Dinge besonderen Werth legten, und ihnen vorzugsweise Zeit und Fleiss mit Liebe widmeten. Diese waren Beredsamkeit, Geschichte und Rechtsgelehrsamkeit. — Der Schauplatz der Beredsamkeit war das Forum, die Tribüne des Prätors, und der römische Staatsmann konnte nicht bestehen ohne Beredsamkeit und Kenntnis des Rechtes.« Ulrici, l. c. p. 106. Cfr. Cic. de orat. II, 3, Tac. dial. XXXVII.

⁴⁾ »Da die Römer in jenen Zeiten (cum res publica floreret) keine Vollkommenheit so hoch schätzten als die Beredsamkeit, so war es nicht zu verwundern, dass vorzüglich die Geschichtschreiber glaubten, die Thaten, die sie erzählen wollten, rednerisch behandeln zu müssen.« Hegewisch, Historisch-literarische Aufsätze, Kiel. 1801. p. 85. »Die Geschichtschreibung der röm. Republik ward von zwei Strömungen beherrscht, einer rhetorischen und einer patriotischen bzw. politischen.« Nissen, Rhein. Mus. vol. XXV. p. 1. Cfr. Bernhardt, l. c. p. II, p. 645 sq. p. 1. p. 243.

⁵⁾ Cfr. Teuffel, l. c. §. 39, p. 62, §. 32, n. 5, p. 57.

quentia ipsa per se longius progressa est diuque Roma illa praecepta, quae a rhetoribus sapientibusque, qui ex Graecia in Italiam ventitabant, in scholis docebantur, aspernata est, tamen artis oratoriae studiis resistere non potuit. Plurimos enim discipulos iam rhetores Graeci alliciebant, ut patres necesse esse ducerunt, ut oratoriae artis doctores ex Italiae finibus pellerentur. Quod factum est senatus consulto anno a. Chr. n. LXI. facto¹⁾. Sed sex annis post cum Carneade, Critolao, Diogene philosophis etiam Crates, grammaticae praeceptor, Romam venit, qui cum splendidis disputationibus orationibusque animos Romanorum sibi suisque artibus conciliasset, maxima vi plurimos excitaverunt, ut sapientiae, grammaticae, artis oratoriae studio operam darent. Quamvis autem hi quoque Graeci Roma dimissi essent, tamen eruditissimus quisque ac maxime, qui idem ac Scipiones et Laelii sentiebant, cum hominibus Graecis consuetudinem habuerunt, Graecos libros libentes legerunt Graecosque latine verterunt auctores²⁾. Eodem autem tempore etiam Romae in scholis ars rhetorica a Graecis praeceptoribus doceri coepta est, quibus expulsis Plotius (Gallus latino sermone iuvenes Romanos illa arte instruxit³⁾). Sed hic quoque L. Licinio Crasso et Cn. Pompeio Ahenobarbo consulibus scholam dimittere iussus est⁴⁾; artis tamen oratoriae studium extinctum non est⁵⁾. Iam enim Ennii, Gracchi, Qu. Sulpicii Galli, alii studia litterarum Graecarum foverant atque commendaverant. Quibus rebus factum est, ut illa in dies magis auferentur atque omnes, qui rebus publicis vacare quique litteris imbuti vellent, in rhetorum scholis instituerentur. Velut Tullius Cicero suadente Crasso Plotii scholam frequentavit atque Iul. Caesar M. Antonio Gniphone, rhetore atque grammatico, doctore usus est. Cum igitur litteris Graecis Romam importatis venustatem earum et elegantiam, iucunditatem et levitatem Romani magis magisque amplecterentur, quamvis ille Cato timens, ne his studiis propagatis ingenia emollierentur moresque depravarentur, maiorum morem seculo severo atque gravi uteretur genere scribendi, posteriorum temporum rerum scriptores Graecorum historias inspexisse atque imitatos esse mirandum esse non potest. Quibus orationes ad oratoriae artis leges confectas cum insertas esse vidissent, illos iam non dubitasse iure credere posse putamus, etiam suis commentariis inserere orationes easque ad oratoriae artis praecepta conficere⁶⁾. — Velut C. Sallustius Crispus, qui in numero primorum historicorum Romanorum habetur, Thucydidis imitator iure creditur⁷⁾. Inter omnes enim homines doctos constat, illum ex diligenti Graecorum rerum scriptorum oratorumque

¹⁾ Cfr. Tac. dial. c. 45.

²⁾ Quod commemorat Cicero in 'oratoris' l. II., c. 37, 155, Quintilianus in instit. orat. l. X., c. 5, 2.

³⁾ Cfr. Cic. de orat. III., 24, 93.

⁴⁾ Cfr. Gellius, n. a. 15, 11, 2; Cic. de orat. III, 24, 93. Suetonius, de rhet. I. In scholis cum aliorum rhetorum Graecorum τέχνας, tum maxime illa Hermogenis τέχνη, qua auctor librorum rhetoricorum ad Herrenium usus est, tradebantur.

⁵⁾ Optime de hac re scripsit Manso in libris: 'Über das rhetorische Gepräge der röm. Literatur.' Vermischte Abhandlungen. p. 41—65.

⁶⁾ Cfr. Jahn'sche Jahrb. vol. XIX. p. 354.

⁷⁾ Velleius Paternulus (II, 36, 2) Sallustium Thucydidis aemulum dixit. Cfr. Quint. X, I, 101, IX, 3, 17. Jacobs, praef. in ed. op. Sall. Berol. 1870, p. 10, Gerlach, C. Sall. Crispi Catil. iug. historiarum rell. vol. I. p. XXV.

studio proprium atque elegans scribendi genus hausisse¹⁾. Quodsi Thucydidem legit, fugere eum non potuit, operi illius magnum conciones interpositas dedisse ornamentum, cum et artificiosum prae se ferrent dicendi genus et ingeniis moribusque hominum optime essent accomodatae. Iam vero cum inter omnes, qui de Sallustii sermone et arte iudicium fecerunt, constet, orationes, quas libris suis hic scriptor intexuit, ad oratoriae artis leges esse confectas²⁾, ex ea re facile confici cogique putamus, a Thucydidis orationibus forensibus hunc sibi sumpsisse exempla, quae imitaretur. Sed neque Tacitum, summum inter Romanos historicum, in scribendis operibus suum tantum iudicium atque arbitrium secutum esse recentiorum temporum homines eruditi docuerunt³⁾. Gravissimis autem argumentis hunc Thucydidis imitatore exstitisse Fr. Roth effecisse videtur⁴⁾. Deinde Livius quoque libros Thucydidis in manibus habuisse creditur, quia oratio, quae in cap. XXX. libri III. legatos Campanos fecit habentes, proxime ad similitudinem eius accedere videtur, quam in c. XXXII. Thucydidis l. I. legimus⁵⁾.

Auctis autem Romae Graecarum litterarum studiis cum omnes homines eruditi atque potissimum oratores venustatem illarum et elegantiam imitarentur, etiam sermo Latinus deposita asperitate et duritia lenitatem et concinnitatem adeptus est. Itaque postquam Hortensius et Cicero eloquentiam ad fastigium quasi perfectionis et artis perduxerunt atque poetae, velut Vergilius et Horatius, qui omnem artem iudiciumque e litteris Graecis hauserant, linquam latinam molliverunt atque exornaverunt, tunc etiam rerum scriptores, cum iam omnium fere Romanorum vita per artes summopere esset exulta pulchrique iudicium excitatum atque expoliturum, poetico quodam et oratorio colore historias imbuere necesse habuerunt⁶⁾. Qua de causa id nobis videtur factum esse, ut magis orationis pulchritudo, iucunditas, elegantia, venustas quam rerum gravitas desideraretur. Hoc ut comprobemus, haec afferimus. Cicero ipse animo agitavit, universalem rerum Romanarum historiam scribere. In primo enim de legibus libro

1) Cfr. Bernhardt, l. c. II, p. 663, Jacobs, l. c. p. 9 sq.

2) »Sallusts Reden sind rhetorische Meisterstücke.« Teuffel, l. c. p. 206. »Orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur.« Seneca, controv. III, 3. »Sallustium non ut historicum scribunt sed ut oratorem esse legendum.« Gran. Licinianus XXXVI. Cfr. Eussner, Jahns Jahrb. a. 1871, p. 404 sq. Gerlach, l. c. vol. II, p. 209, Ulrich, l. c. p. 125.

3) Cfr. Ulrich, l. c. p. 141. Meierotto, de Taciti fontibus. Berol. 1795. p. 1 sq.

4) In commentatione: »Über Thucydides und Tacitus.« Monach. 1812. cfr. p. 22.

5) Cfr. quae Weissenborn ad Livii locum adnotavit.

6) »Desto entschiedener tritt dagegen der Zusammenhang beider (eloquentiae et historiae) hervor, seit durch Ciceros und seiner Zeitgenossen Bemühung der Geschmack sich geläutert, der feierliche, rednerische Ausdruck sich gebildet, das Ohr an Wohlklang sich gewöhnt hatte. — Die Sprache, zumal die dichterische, die von jetzt an sich neu gestaltet und eine höhere Färbung gewinnt, die vielen, ausgearbeiteten Reden, mit denen Dichter und Geschichtschreiber ihre Werke ausschmücken, die umständlichen Schlachtenbeschreibungen und verzierten Ereignisse einer uralten Zeit, die gewiss nicht historisch sind, die häufigen Charakterschilderungen und Gemälde, denen schwerlich wirkliche Personen entsprechen, — alles verräth, dass man schrieb, nicht damit, was war und geschah, treu und einfach erscheine, sondern damit es gerade so, oder welches dasselbe ist, in dem wirksamsten Lichte erscheinen möge. Das Wahre weicht unvermerkt dem Anziehenden, die unbefangene Darstellung ordnet sich der absichtlichen unter und in die Sprache drang eine Menge rhetorischen Stoffs, obwohl allerdings ohne Verletzung der Gesetze der Schönheit und ohne Beeinträchtigung des gesunden Geschmacks.« Manso, l. c. p. 50 sq.

(c. 2, 5) Atticus illum exhortatur, ut potius historiam, quae iam diu ab eo postuletur, conficiat; nam eo illam tractante effici posse arbitratur, ut Romani in hoc quoque genere nihil Graeciae cedant. Sed iam antea multi de rebus Romanis scripserunt. Illi vero, cum rudi atque incondita voce usi essent, nequaquam Ciceroni digni visi sunt, qui cum Graecis rerum scriptoribus compararentur. Oratorio enim atque artificioso dicendi genere in rebus tradendis utendum esse Cicero sibi persuasit, quippe qui, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis effinxisse Quintiliano videretur¹⁾. Postea autem Cornelius Nepos historiam post mortem Ciceronis rudem et inchoatam relictam questus est. Apud Quintilianum vero haec legimus: »historia proxima est poeseos et quodam modo carmen solutum et scribitur ad narrandum, non ad probandum²⁾«. Denique scriptores Romani, cum de Graecis et suis historicis eorumque oratione iudicium facerent, semper eloquentes laudaverunt, eos autem, quorum libri sermone oratorio carerent, vituperaverunt³⁾.

Ad haec omnia autem accedit, quod optimus quisque Romanorum rerum scriptorum, quia rhetorum scholas frequentaverat, dicendi artis peritus fuit. Caesarem Gnipphone doctore usum esse iam antea diximus. Cicero deinde suadente Crasso Plotii scholam adiit. De Sallustii iuvenis studiis nihil quidem traditum est, sed rhetoricae artis praeceptoribus eum usum esse, ex summa eius dicendi arte certissime effici licet. Iam vero Livium Patavii doctorum hominum disciplina esse imbutum, testimonio nobis sunt, quos scripsit, dialogi et praecepta rhetorica, quorum nonnulla Quintilianus adfert⁴⁾. De Cornelii Taciti denique pueritia quamvis nihil comperti habeamus, dubium tamen esse non potest, quin disciplinis instructus sit, quibus illius aetatis pueri imbui consueverint. Verisimile autem est, hunc ab iisdem, quibus Plinius usus est, eloquentiae magistris doctum esse, Quintiliano et Nicete Sacerdote⁵⁾. Praeterea e dialogi capite secundo manifestum esse nobis videtur, Tacitum M. Apri et Iulii Secundi oratorum artem adaequasse⁶⁾. Quae cum ita sint, in liquido prorsus est, omnes hos rerum scriptores in historia conficienda rhetoricam artem spectasse atque usum orationum, in quibus illa liberrime uti possent, cum iam priores historici atque Graecorum dignissimi, quos imitarentur, concionibus libros exornavissent, non modo libentes recepisse sed pro suo quemque ingenio atque iudicio excoluisse.

Sed quaesierit forte aliquis, num quid omnes orationes, quas veteres rerum scriptores operibus inseruerunt, ita habitae sint, ut ab illis referantur, et reapse personae eo tempore et loco locutae sint, quo auctores eas loquentes faciant. De hac autem re, quae maximi sit momenti, nunc nobis quaerendum est. Atque ex Graecis historicis solus Thucydides, qua ratione in effingendis orationibus usus esset, pro-

¹⁾ Vide Quint. inst. or. X, 2, 108; Cfr. Cic. Brut. 75, 262; Plut. Cic. v. 24; Niebuhr. Vorlesungen über röm. Gesch. I, p. 36. Schwegler, Röm. Gesch. I, p. 93 sqq.

²⁾ Inst. orat. X, 1, 31.

³⁾ Vide Cic. Brut. c. 17, c. 75; de leg. I, 2; de orat. II, 12. Quint. inst. or. X, 1, 32, 101, IV, 2, 45, VIII, 1, 3, I, 5, 56. Tac. hist. I, 1, III, 50. Agr. c. X, ann. IV, 24, Plin. ep. II, 1, 11, IV, 15, VI, 16, Ulrici, l. c. p. 112.

⁴⁾ Inst. or. II, 5, 20.

⁵⁾ Cfr. Plin. ep. II, 14, 9, VI, 6, 3, Walter. De Taciti studiis rhetoricis, ratione habita orationum, quae exstant in priore annalium parte. Diss. inaug. Halis Sax. 1873, p. 3 sqq.

⁶⁾ Cfr. Haase, editio ann. Tac. praef. p. VII, Walter, l. c. p. 6 sq.

fessus est. Nam in vicesimo altero primi libri capite se summa orationis vere habitae servata ea homines inducere loquentes aperte declarat, quae quisque de unaquaque re dixisse sibi videatur¹⁾. Praeterea ob eam rem ita se in componendis orationibus versatum esse ostendit, quia, quae homines aut rem gesturi aut gerentes dixerunt, memoria tenere difficile fuit et sibi ipsi et illis, qui illa tradiderunt aut nuntiaverunt. Ex his autem patet, Thucydidem ad summam orationum sibi traditam spectasse et quaedam, quae homines dicere potuisse viderentur, addidisse²⁾. Ex iis autem, qui ante Thucydidem historias scripserunt, et *λογογράφους*, qui dicuntur, effinxisse orationes, si quidem iis usi sunt, manifestum est, quia magis ad voluptatem legentium promovendam quam ad vera prodenda eos commentatos esse atque falsa cum veris miscuisse antiquitus traditum est, et Herodotum commenticiis orationibus Musas exornavisse inter omnes doctos constat³⁾. Unum vero idque praecipuum de sermonum Herodoteorum origine atque natura adicimus, plurimos fictos esse, ut quos scriptor neque audivisset neque ab aliis relatas aut traditas consignavisset⁴⁾. Tum qui post Thucydidis aetatem historiae scribendae operam dederunt, leges, quas hic in conficiendis orationibus secutus est, neglexerunt, quin etiam, cum minus veritatis studium iis inesset, id solum egerunt, ut orationibus ad oratoriae artis praecepta elaboratis splendorem et iucunditatem scriptis adderent. Velut Ephorus, Theopompus, alii ad ostendendam scribendi artem orationibus usi sunt, atque ita fere homines fecerunt loquentes, ut in rhetorum scholis disputare viderentur⁵⁾.

Quamvis autem omnes fere Graeci rerum scriptores summa cum licentia orationibus iisque excogitatis usi essent, unus tamen eas fastidivit Polybius. Hic enim cum rebus narrandis magis incumberet, maxima cum diligentia omnes fontes et documenta examinavit proposito sibi consilio ostendendi, quomodo factum esset, ut Romani omnes populos, qui circum mare medium essent, sibi subicerent. Quod ut adsequeretur, ex ipsis rebus gestis argumenta documentaque quaerere et haurire necesse habuit. Itaque neque splendido aut eleganti scribendi genere usus est neque multas orationes sermonis directi rerum narrationi interposuit⁶⁾. De orationum inserendarum ratione autem haec fere statuit: aptas eas esse atque personis accomodatas oportere, utque, quae de rebus apte dici possint, cognoscantur, primum tempus esse spectandum, tum animorum motus, studia, consilia eorum, qui res ipsas gerant, denique orationum vere habitaram rationem ducendam esse atque causarum, quibus factum sit, ut, qui loquantur, dicendo aut proficiant aut operam perdant, postremo eum esse finem orationum, ut legentes historias animis quodam modo effingant res gestas atque velut oculis

¹⁾ Cfr. quae ad illum locum Poppo-Stahl et Classen adnotaverunt.

²⁾ Cfr. Thom. Fellner, *Forschung und Darstellungsweise des Thukydidés gezeigt an einer Kritik des VIII. Buches*. Vindob. 1880, p. 40, Auffenberg, l. c. p. 18, F. G. Zangenreuter, *Num orationes Thucydidae vere habitae sint, etc.* Celle. 1873.

³⁾ »Die Behauptung, Herodot habe keine ersonnenen Reden, ist durchaus unbegründet. Eigentliche Reden hat er freilich nicht, aber Reden in Gesprächsform, und diese sind alle so ersonnen, dass sie alle seine Natur zeigen und ohne unterscheidenden Charakter sind.« Fr. v. Raumer. *Antiquarische Briefe*. Lips. 1851, ep. VI. Cfr. Ulrici, l. c. p. 38.

⁴⁾ Cfr. Hochegger, l. c. p. 7.

⁵⁾ Cfr. Quint. inst. or. X, 1, 74, Cic. de or. 2, 13, 47, Polybius, 12, 15.

⁶⁾ Cfr. Ulrici, l. c. p. 61.

cernere possint. Quamquam vero laude dignus nobis videtur esse Polybius, quod ab ea via, quam priores summa cum libertate ingressi sunt, declinavit, tamen illam rectam rationem secutus non est, qua Thucydides, historiae scribendae artis princeps et legislator, usus est. Similia autem Polybio de componendis concionibus praecepta statuerunt Lucianus et Dionysius Halicarnassensis¹⁾. Sed hoc quoque, quod adiungamus, nobis videtur dignum esse, quod solus Cratippus, qui, Thucydidis fere aequalis, quae ab illo praetermissa sunt, supplevit eiusque historiam continuavit, usum orationum in historiis vituperavit et castigavit. Hunc enim Dionysius Halic. in c. XVI. de Thuc. iud. libri tradit censuisse, Thucydidis *δημηγορίας και τὰς ἄλλας ῥητορείας* (i. e. operis partes ad leges oratorias compositas) *οὐ μόνον ταῖς πράξεσιν ἐμποδῶν γεγενῆσθαι, ἀλλὰ και τοῖς ἀκούουσιν ὀχληρὰς εἶναι*, atque iudicasse, Thucydidem *τοῦτό γέ τοι συνέντα ἐν τοῖς τελευταίοις τῆς ἱστορίας (l. VIII.) μηδεμίαν τάξαι ῥητορείαν, πολλῶν μὲν κατὰ τὴν Ἰωρίαν γενομένων, πολλῶν δ' ἐν Ἀθήναις, ἕσα διὰ λόγων και δημηγοριῶν ἐπράχθη*²⁾. Verum cum operis Cratippi ne reliquiae quidem supersint, accurate definiiri aut statui non potest, quomodo hic correxerit, quod in Thucydidis oratione vituperavit, quaque ipse historiae scribendae ratione usus sit.

Apud Romanos autem nemo rerum scriptor uno Trogo Pompeio excepto de concionibus rerum narrationi insertis iudicium fecit. Hunc Iustinus, qui Pompei historiarum Philippicarum epitomator exstitit, in Livio et Sallustio reprehendisse tradit³⁾, quod conciones directas pro oratione sua operibus inserendo historiae modum excesserint, atque, ne id sibi ipsi contingeret, solas orationes obliquo sermone compositas libris inseruisse⁴⁾. Verum igitur Trog. Pompeius in rebus scribendis maxime spectandum atque ob eam rem directarum orationum usum deponendum esse putavit, id sibi persuasum habens, oratoriam artem ab historia arcendam esse. At nobis dubium esse videtur, minusne obliquis orationibus usus rerum fidem laeserit Trog. Pompeius quam qui directas inseruerint, quin immo nemini illius sententiam probabilem videri arbitramur. Neque enim indirectis orationibus, quas ipse mente excogitavit, scriptor libris fidem augere potest, quin etiam veri studium simulare videtur. Iam vero abiecto usu orationum directarum id nunquam efficit auctor, ut, quod veteres voluerunt, legentium animos varietate et arte sermonis delectet. Reliqui autem Romanorum historici et orationibus usi sunt, quin dicerent, quid veri, quid falsi in iis inesset,

¹⁾ Lucianus in libro: »quomodo historiaa scribend sit« c. 58 haec scripsit: *Ἦν δέ που και λόγους ἐροῦντά τινα δεῖσθαι εἰσάγειν, μάλιστα μὲν εἰκότα τῷ προσώπῳ και τῷ πράγματι οἰκεία λεγέσθω, ἔπειτα ὡς σαφέστατα και ταῦτα, πλὴν ἐφεῖται σοί ποτε και ῥητορευσαι και ἐπιδειξαι τὴν τῶν λόγων δεινότητα*. Dionysius autem in c. XXXVI. libri de Thucyd. iud. λόγους dicit necesse esse τοῖς προσώποις πρέποντας και τοῖς πράγμασι οἰκείους μήτε λείποντας τοῦ μετρίου μήτε ὑπεράροντας. Idem de hac re sensit Quintilianus, qui in X. inst. or. libro (c. 1. 101) haec dixit: »Nec dedignetur sibi Herodotus aequari Titum Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur, omnia cum rebus tum personis accommodata sunt.

²⁾ Cfr. A. Schäfer, l. c. p. 31, Müller, fragm. hist. graec. II, 75.

³⁾ Inst. 28, 3, 7.

⁴⁾ Plura de hac re scripsit Seebek in l. parte libelli: »De orationibus Taciti libris insertis.« Celle, 1880, p. 13 sq.

et plerasque, quae neque unquam habitae sunt neque haberi potuisse patet, effllexerunt summaque arte, ut eloquentiae quasi specimen darent, expoliverunt.

Cuius autem rei facultatem et Romani et Graeci scriptoribus fecisse videntur, neque in fictis aut commenticiis orationibus offendisse¹⁾, si quidem ad hominum ingenium et mores rerumque naturam accomodatae essent²⁾. Qua re contigit, ut etiam ii, qui suae ipsorum aetatis res gestas scripserunt, orationes vere habitas, quas aut ipsi audivissent, aut ab aequalibus exquisivissent, aut consignatas in manibus habuissent, non integras libris insererent sed ita inversas et immutatas, ut dicendi generis concinnitas non turbata videretur. Cum enim in scribendo maxime studerent arti, in id incumbabant, ut omnes librorum partes aequalem et congruentem orationem haberent. Hanc autem non habuissent, si orationes, quae pro singulorum hominum ingenio dicendique facultate variam prae se ferrent formam variumque sermonem, integrae interpositae essent. Nobis equidem, cum historici recentes acriora historiae scribendae sequantur praecepta, idque munus rerum scriptoris esse censeamus, ut quae in rebus traditis et acceptis vera sint, exquirat exquisitaque posteris tradat, ille usus orationum et fictarum et inversarum a veritatis studio alienus esse videtur. Quare veterum historiae a quibusdam non immerito fabularum Milesiarum similes dictae sunt³⁾. Sed quamvis concedamus, orationibus illis laedi fidem, atque veteres rerum scriptores nimis eloquentiae studuisse, tamen his id non vertimus vitio, praesertim cum nihil intersit, utrum ea, quae de hominum moribus rebusque senserint, ex orationibus insertis cognoscamus, an ex iudiciis, quae in rerum ipsarum narratione simpliciter exponant.

¹⁾ Ceterum ab eo abhoruisse veteres, ne quis rerum scriptor ea faceret homines dicentes, quae non dixisse eos manifestum esset, hoc est nobis testimonium. Herodotus in LXXX sqq. libri III. cc. tres Persas, primum de liberae civitatis forma, alterum de paucorum imperio, tertium de regia dominatione disputantes fecit. At iam aequales patri historiae, quem quasdam operis partes diebus festis declamasse antiquitus traditum est, fidem non habuerunt, cum, ut Herodotus ipse (III, 80) dicit, sibi persuasissent, homines Persas de illis civitatum formis, quae nullo unquam tempore in oriente moris fuissent, ea dicere non potuisse, quae loquentes scriptor fecisset. Quam ob rem in c. XLIII. l. III. Herodotus haec scripsisse videtur: Ἐνταῦθα μέγιστον θῶμα ἔρέω τοῖσι μὴ ἀποδεκομένοισι Ἑλλήνων Περσέων τοῖς ἐπτά Ὅτανεα γνώμην ἀποδείξασθαι ὡς χρέον εἶη δημοκρατέεσθαι Πέρσας, τοὺς γὰρ τυράννους τῶν Ἰώνων καταπαύσας πάντας ὁ Μαρδόνιος δημοκρατίας κατίστα κατὰ τὰς πόλεις.

²⁾ Ulrici, expositis causis, quibus permoti veteres historici orationibus usi essent, haec addidit (l. c. p. 327): »Daher hielten sie (veteres) das für keine Verletzung der Treue, Reden auch da, wo ihnen keine Überlieferung zu Grunde lag, einzuflechten, und dem Charakter und Geist der handelnden Personen entsprechend, nach Lage der Verhältnisse und Umstände zu erdichten. Cfr. Wachsmuth, Entwurf einer Theorie der Geschichte. Halis. 1820, p. 135, »De veterum scriptorum Graecorum, levitate quadam a peculiari rerum gestarum ratione accurate definienda aberrante«. Lips. 1825, p. 13 sq.

³⁾ »Geschichte und Roman werden von vielen Geschichtschreibern alter und neuer Zeit thatsächlich verwechselt und theoretisch kann sie Quintilian so wenig unterscheiden, dass er (inst. or. X, 1. 31) sagt: »historia est proxima poeseos et quodam modo solutum carmen et scribitur ad narrandum, non ad probandum«. Teuffel, l. c. §. 29, n. 2. — »Man bedenkt nicht immer, dass die historische Kunst der Alten besonders der Römer in der Mischung des objectiven Thatbestandes mit kleinen subjectiven Zuthaten stark war und sie durch Wort, Blick und Mienenspiel das Interesse zu erhöhen suchten; ein anerkannter Meister der Praxis und Theorie hat daran treffend in seinen Essay über Macchiavelli erinnert, Macaulay bezeichnet sogar die Geschichtswerke des classischen Alterthums als Romane, die im Factischen begründet sind«, Bernhardt, l. c. p. II. §. 109, n. 109.